

SENTENTIA.

SUMMARIUM.

1. Sententia unde dicatur? — 2. Sententia quid sit? — 3. Sententia est duplex, una definitiva et altera interlocutoria. — 4. Sententia definitiva quæ sit? — 5. Sententia interlocutoria quæ sit? — 6. Quare dicatur interlocutoria? — 7. Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, et in interlocutoriam habentem vim definitivam. — 8. Sententia mere interlocutoria quæ sit. — 9. Sententia interlocutoria habens vim definitivam quæ sit? — 10. Exemplificatur sententia interlocutoria habens vim definitivam. — 11. Assignatur prima differentia inter sententiam definitivam, et mere interlocutoriam. — 12. Assignatur secunda. — 13. Assignatur tertia. — 14. Assignatur quarta. — 15. Assignatur quinta. — 16. Adducitur ratio hujus quintæ differentie. — 17. Assignatur sexta differentia. — 18. Quibus autem in casibus et quibus de causis possit appellari tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de jure civili, quam canonico et conciliari? *remissive*. — 19. Antequam in iudicio ordinario deveniatur a iudice ad sententiam, debet prius a partibus fieri conclusio in causa. — 20. Secus autem in iudicio summario, si ita videatur iudici expedire. — 21. Conclusio in causa potest fieri tam ore tenus, quam scripto. — 22. Adducitur consueta et vulgaris formula faciendi conclusionem in causa. — 23. Respectu iudicis nunquam concluditur in causa. — 24. Quid faciendum, si una parte concludente in causa, altera pars nondum concludat? — 25. Facta a partibus conclusio in causa, debet, servatis ad rectam sententiam requisitis, ad ipsam proferendam procedere; dicta autem requisita, alia sunt, quæ respiciunt solemnitatem iudicalem, et alia, quæ respiciunt ordinatam cognitionem causæ. — 26. Requisite prioris sunt: Primo quod sententia definitiva debeat in scriptis concipi, et per ipsum iudicem, et non per alium recitari. — 27. Exceptis tamen episcopis et personis illustribus, quibus conceditur ob dignitatis prerogativam, quod sententiam a se latam per alios recitare possint. — 28. Secundo, requiritur, quod sententia proferatur a iudice non stante vel ambulante, sed sedente pro tribunali in loco publico et consueto. — 29. Episcopus autem potest in quolibet loco suæ diocesis non exempto, per se vel per alium pro tribunali sedere et sententiam ferre. — 30. Tertio, requiritur quod sententia feratur de die et non de nocte. — 31. Quarto, requiritur, quod sententia feratur die non feriato. — 32. Quinto, requiritur, quod iudex citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam, idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria. — 33. Requisite posterioris generis sunt: Primo, quod sententia debet esse libello conformis. — 34. Secundo, requiritur, quod sententia sit certa. — 35. Tertio, requiritur, quod sententia non feratur sub conditione. — 36. Quarto, requiritur, quod sententia sit juri conformis. — 37. Sententia ferenda est intra tempus a jure præscriptum; quod tempus de jure civili in causis civilibus est triennium. — 38. In causis autem criminalibus est biennium. — 39. Secus autem est de jure canonico. — 40. Quid de novissimo jure civili Tridentini? — 41. Sententia definitiva regulariter transit in rem iudicatam, si post decendum a sua prolatione non appelletur in ipsa. — 42. Item sententia definitiva transit in rem iudicatam, quando inter decendum ab ea quidem appellatum est, postea tamen appellatio fuit deserta. — 43. In aliquibus tamen causis sententia post decendum non transit in rem iudicatam, et signanter sententia lata in causis matrimonialibus. — 44. Item sententia non transit in rem iudicatam in causis benefi-

cialibus. — 45. Item sententia non transit in rem iudicatam in iis causis et casibus, in quibus ejus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile. — 46. Res iudicata proprie sumpta quæ sit? — 47. Quando incipiat currere, et quomodo debeat currere decendum, post quod sententia transit in rem iudicatam? *remissive*. — 48. Sententia inter aliquos lata non præjudicat, nec prodest aliis. — 49. In variis tamen causis sententia lata inter alios potest aliis nocere aut prodesse. Et signanter in causis connexis. — 50. Item in re individua, et pluribus communi. — 51. Idem in duobus casibus assignatis, in cap. *Quamvis* 25, De sentent. et re iudicata. — 52. Item sententia lata contra unum nocet alteri, quando is actionem mandavit vel ratam habuit. — 53. In sententia victus victori in expensis est condemnandus. — 54. Et hoc procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus. — 55. Non est tamen victus condemnandus in expensis, quando habuit justam causam litigandi. — 56. Quando autem quis censetur habere justam causam litigandi: relinquatur arbitrio iudicis. — 57. Iudex non condemnans victum victori in expensis, quando istæ sive explicite sive implicite fuerunt petite, tenetur ipsas resarcire de suo. — 58. In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quæ fuit bis confirmata. — 59. Et hoc procedit non solum in appellatione a definitiva, sed etiam ab interlocutoria. — 60. Imo hoc verificatur etiam in sententiis, quæ non transeunt in rem iudicatam. — 61. Et hoc adeo verum est, ut nec Papa, nec alius princeps supremus possit potestate ordinaria per viam rescripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem causa, quamvis possit per viam privilegii, et ex certa scientia hoc princeps supremus concedere. — 62. Posset tamen ab eodem appellari pluries, si pluries gravaretur super diversis articulis, licet in una eademque causa. — 63. In eadem causa, et super eodem articulo licet utrique parti collitigantium bis appellare successive. — 64. Is, contra quem in aliqua causa, sive civili, sive criminali, sive mista, sive in petitorio, sive in possessorio tres sententiæ conformes sunt late, admitti non debet ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujusmodi sententiæ plene fuerint executioni mandata. — 65. Et hoc procedit de tribus sententiis conformibus, sive definitivis, sive interlocutoriis. — 66. Item procedit de tribus sententiis conformibus in quavis causa, sive civili, sive criminali, sive mista. — 67. Cum hoc tamen, quod in causis criminalibus tres sententiæ conformes prius exsequi debent, antequam agatur de nullitate sententiarum, solum ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari adhuc possunt; secus autem ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari amplius non possunt. — 68. Imo secundum multos hoc procedit etiam in causis civilibus. — 69. Ad hoc, ut tres sententiæ conformes debeant et possint exsequi, non obstante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent esse late super eodem articulo, et non super diversis. — 70. Potest tamen aliquis tertius pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententiæ, et impedire executionem trium conformium, dummodo ille tertius nondum bis appellaverit, sed adhuc appellare possit a sententia, quæ illi nocet. — 71. Quenam sententiæ dicantur conformes? — 72. Non dicuntur tres sententiæ conformes, si duæ sententiæ sint late in principali, et tertia super desertione appellationis propositæ a duabus prædictis sententiis. — 73. Executio sententiæ fieri debet regulariter ab iudice, qui eam tulit; dummodo is sit iudex ordinarius. — 74. Iudex delegatus Papæ potest sententiam suam exsequi, et quidem usque ad an-

num. — 75. Item delegatus principis supremi potest suam sententiam exsequi. — 76. Delegatus ab inferiori magistratu probabilis non potest exsequi suam sententiam, sed debet executionem deleganti remittere. — 77. Contrarium tamen docet glossa cum aliis. — 78. Post latam a iudice sententiam definitivam, non est statim ipsa executioni mandanda in actionibus, et causis civilibus, sed in actionibus realibus expectandum est saltem per decem dies, priusquam executio fiat, et in actionibus, et debitis personalibus expectandum est per quadrimestrem. — 79. Secus autem in causis et actionibus criminalibus. — 80. Si condemnatus ad mortem nolit se disponere ad Christiane moriendum, sed mori velit desperatus et impœnitens, quid agendum? — 81.

(1. Sententia dicitur a *sentiendo*; eo quod iudex per eam quid super re proposita sentiat, declaret. (2. Unde sententia est iudicialis decisio rei controversæ per pronuntiationem iudicis rite factam, liti finem imponens. Est in re communis.

(3. Sententia est duplex, una definitiva et altera interlocutoria. *Communis*.

(4. Sententia definitiva est illa, quæ principalem causam seu controversiam in iudicio deductam definit, eique finem imponit per absolutionem vel condemnationem. Sic desumitur ex l. 1, ff. *De re iudicata*, et eam ita definit Glossa, in Clementin. unic., verb. *Definita*, De sequestr. possess.; abbas, ad Rubric. *De sentent. et re iudicata*, n. 4; Hostiens., in *Summa*, n. 1, De sentent. et re iudicata, et alii passim.

(5. Sententia interlocutoria est illa, quæ non super principali causa et controversia, sed super aliquo emergente vel incidente articulo inter principium et finem causæ fertur, ut v. gr. super dilationibus dandis vel testibus producendis, recitandis, examinandis, repellendis et similibus rebus incidenter in iudicio se offerentibus. Sic Glossa, *loc. cit.*; abbas, *loc. cit.*; Hostiens., *loc. cit.*, et est in re communis, et dicitur *interlocutoria*, vel quia iudex in ista sententia causam non definit, sed interloquitur inter principium et finem: vel quia inter partes loquendo sine solemnitate scripturæ pronuntiat; ut ex multis a se citatis tenet Fagn., in cap. *Super*, De appell. n. 39.

(6. Unde quidquid iudex decernit et statuit inter principium, et finem litis contestatæ ante sententiam definitivam pertinens ad ipsam litem contestatam, dicitur sententia interlocutoria. Sic in re communis doctorum.

(7. Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, et in interlocutoriam habentem vim definitivam. *Communis*. (8. Sententia mere interlocutoria est illa mox definita. *Communis*. (9. Sententia vero interlocutoria habens vim definitivam est illa, quæ quidem causam principalem non definit, eam tamen ferme perimit, ut deducitur ex l. *Post sententiam* 6, codic. *De sententiis et interlocutionibus omnium iudic.*, ubi dicitur: «Nec causam ullam interlocutiones plerumque perimunt:» dicitur enim notanter *plerumque*, quia interlocutio aliquando rem firme perimit, ut ex aliis no-

Alia ad rem, *remissive*. — 82. Affertur sententia Pilati condemnatoria D. N. J. C. — 83. Pro iusta ferenda sententia debent iudices esse instructi utroque jure civili et canonico. — 84. Unde currit adagium: Quod legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil. — 85. Doctores minus in iure periti cadunt sub censura, quæ affertur. — 86. Vocantur non juris doctores, sed juris dolores; doctores necessitatis; doctores monetæ tonsæ; doctores, seu advocati Pilati, et quare? — 87. Sententia *equa* sine diphthongo, quæ dicatur? — 88. Affertur lepida responsio Bulgari Federico imperatori. Unde origo adagii, quod quilibet pertinax in sua singulari sententia ac opinione *Martinus* appelletur. — 89. Alia ad rem ad n. 133.

tat Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 27, § num. 17. (10. Et proinde talis sententia interlocutoria dicitur habere vim sententiæ definitivam, ut est omnis illa sententia, postquam non speratur alia sententia ferenda in eadem instantia, eo quod ipsi finem imponat, ut sententia absolutoria ab observatione iudicii. Sic etiam sententia per quam pronuntiat appellacionem esse desertam, quia per talem quoque sententiam finitur instantia; vel per quam alicui muleta imponitur; vel præcipitur aliquid esse dandum aut faciendum; vel per quam finitur officium iudicis, ut si iudex interloquendo pronuntiet, se non esse iudicem competentem; vel per quam definitur unus articulus substantialis controversiæ principalis; vel per quam admittitur seu rejicitur exceptio peremptoria, et aliæ similes, ut videri possunt apud Felinum, in *Rubric.*, De sentent. et re iudicata; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 27; Reiffenstuel, *ibidem*, et alios passim.

(11. Inter sententiam definitivam et mere interlocutoriam plures dantur differentie. Et prima est, quod sententia definitiva non potest fieri nisi servato substantiali ordine iudiciario, aliter est nulla. Interlocutoria autem potest fieri sine ullo servato ordine iudiciario, cum de sua natura petat ferri solum super aliquo emergente seu contingente articulo, circa quem interloquitur iudex, dum conficit processum, servato ordine iudiciario quoad sententiam definitivam. Scaccia, tract. *De sentent. et re iudicata*, gloss. 14, q. 4, n. 20; Maranta, par. VI *Speculi aurei*, tit. De sententia, n. 31; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 27, num. 1, vers. *Porro*.

(12. Secunda differentia est, quod sententia definitiva non valet, nisi feratur in scriptis et ex scripto recitetur. L. *Statutis* 3, cod. *De sententiis ex periculo recitandis*, et cap. ultim. *De sentent. et re iudic.* in 6. Interlocutoria autem potest ferri sine scriptis, quamvis postea debeat redigi in scriptis, ut apparet de ipsa ex actis. Glossa, in cit. cap. ultim., verb. *Definitiva*, De sentent. et re iudicat. in 6, et alia Glossa, in c. *Quoniam contra*, verb. *Interlocutiones*, De probationib.; Maranta, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Porro*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 29, et alii communiter.

(13. Tertia differentia est, quod sententia definitiva non potest ferri, nisi iudice pro

tribunali sedente. L. *Cum sententiam* 6, cod. *De sententia et interlocut. omn. judic.*, et nisi partibus presentibus, aut saltem legitime citatis, et contumaciter absentibus. L. *Ea quæ* 7, et l. *Consentaneum* 8, cod. *Quomodo et quando iudex*, etc. Secus autem est dicendum de sententia interlocutoria: ista enim potest proferri etiam parte absente, ac per nuntium, vel epistolam. L. *Diem proferre* 27, ff. *De receptis arbitr.*, ubi Bartolus, in *Summario*; Gloss., in l. *Nec quidquam*, verb. *Decretum*, ff. *De offic. proconsul.*; Maranta, *loco cit.*, n. 1; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 30; Franciscus de Acceptantibus, tract. *De sententia definitiva et interlocutoria*, num. 8 et 10, et alii.

(14. Quarta differentia est, quod sententia definitiva determinat controversiam principalem deductam in iudicium, ut patet ex ejus definitione tradita supra n. 4. Unde debet continere absolutionem, vel condemnationem, aliter non valet. L. *Res iudicata* 1, et l. *Præses* 27, ff. *De re iudicata*; Scaccia, *loc. cit.*, n. 1; Maranta, *loc. cit.*, nu. 3; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 27; Speculator, tit. *De sententia*, § *Species*, n. 3, et alii; interlocutoria autem non determinat, neque definit causam principalem, sed determinat solum articulos emergentes et incidentes inter principium et finem controversiæ principalis, ut liquet ex ejus definitione tradita supra num. 5, et tenet communis doctorum.

(15. Quinta differentia est, quod sententia definitiva semel a iudice prolata ordinarie non potest ab eodem revocari. L. *Hac lege* 2, cod. *De sententiis ex periculo recitand.*, et leg. *Judex* 55, ff. *De re iudicata*; et cap. *Quod bene* 6, quæst. 4, et cap. *In litteris* 9, De offic. delegat. Interlocutoria autem potest a iudice revocari ante subsecutam sententiam definitivam, leg. *Quod jussit* 14, ff. *De re iudicata*, ubi summarium ex Bartolo sic ait: «Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, sed non definitivam.» (16. Et ratio hujus differentiæ est, quia iudex postquam semel dixit sententiam (definitivam), iudex esse desinit. «Et hoc jure utimur, ut iudex, qui semel, vel plures, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim male seu bene officio functus est;» ut expresse dicitur in citat. l. *Judex*; postquam autem dedit sententiam solum interlocutoriam, adhuc remanet iudex in eadem causa, donec eam totaliter terminet per sententiam definitivam, cum quoad eum nondum transierit in rem iudicatam. Cit. leg. *Quod jussit* 14, ff. *De re iudicata*.

(17. Sexta differentia est, quod a sententia definitiva regulariter appellari potest; secus autem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivam, aut contineat damnum irreparabile. Leg. *Ante sententiæ tempus* 7, cod. *Quorum appellationes non recipiuntur*, juncta Glossa, verb. *Discussores*. Et habetur expresse a concilio Trident., sess. xxiv *De reform.*, cap. 20, ubi sic decernit: «Neque appellationes ab eisdem (ordinariis locorum)

interpositæ per superiores quoscunque recipiantur, nisi a definitiva, vel a diffinitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.» Et de hoc ipso adest *declaratio sacræ cong. Episcop.*, die 16 Octobris 1600, edita et a Clemente VIII approbata, quæ per extensum una cum aliis novissimis decretis refert sub verb. *Appellatio*, art. 3, a n. 27 usque in finem. Vide, *ibid.*

(18. Quibus autem in casibus, et quibus de causis possit appellari, tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de jure civili quam canonico et conciliari? Vide verb. *APPELLATIO*, art. 4 per tot, ubi fuse de omnibus.

(19. Antequam in iudicio ordinario deveniatur a iudice ad sententiam, debet prius a partibus fieri conclusio in causa. Sic expresse habetur in cap. *Judicantem* 30, quæst. 5, ibi: «Judicantem oportet cuncta, etc. Nec litigantibus iudex prius velit sua sententia obviare; nisi quando ipsi jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quod proponant. Engel. lib. II *Decretal.*, tit. 27, num. 1; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 46; Vallensis, *ibidem*, § 3, n. 1, et alii passim.

(20. Dicitur autem notanter in iudicio ordinario, quia in iudicio summario, ubi simpliciter et de plano proceditur, potest a iudice proferri sententia, etiam conclusione a partibus non facta, si ita ei videbitur expedire, textu expresse in Clementina *Sæpe contingit*, § *Sententiam*, De verb. significat. in 6, ibi: «Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) stans, vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout expeditione et probatione, et aliis acilitatis in causa fuerit faciendum.»

(21. Conclusio in causa potest fieri tam ore tenus, quam scripto, cum nulla certa solemnitas sit ad id a jure præscripta. Imo non solum expresse, sed etiam tacite potest fieri conclusio in causa, si videlicet partes nulla facta formali renuntiatione ulteriorum probationum, simpliciter a probationibus desistant, et a iudice sententiam postulent. *Communis*.

(22. Consueta autem et vulgaris formula faciendi conclusionem in causa est, quod partes in ultima sua scriptura adjungant, quod «hisce in causa concludere, et se ad sententiam submittere velint.» Et hæc conclusio in causa solet interdum fieri *conditionate*, vel protestando, quod non aliter intendat quis in causa concludere, quam etiam adversarius concluderit, et in sua scriptura nihil novi posuerit, vel conclusioni suæ adjiciendo expresse hanc conditionem: «Nisi novæ probationes, vel nova instrumenta reperiantur.» Et revera hæc adjicere conditionem satis expedit, cum aliquin postquam a partibus in causa conclusum pure et absolute fuit ante sententiam, nulla admittatur nova exceptio vel probatio. Cap. *Cum venisset* 25, et cap. *De testibus* 29, cap. *Cum dilectus* 9, De fide instrumentor. Unde Mascard., *De probationib.*, quæst. 17 præcæ-

n. 44, sic expresse dicit: «Conclusio in causa partibus os obstruit et claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus.»

(23. Respectu iudicis tamen nunquam concluditur in causa: unde ipse iudex, si sibi justum et æquum visum fuerit, poterit etiam post conclusionem in causa factam a partibus novas probationes admittere, textu expresse in cap. *Pastoralis* 5, § penult. et ult. *De causæ possess.* Imo ipse iudex post conclusionem in causa potest ex suo officio partes examinare, testes interrogare ac recipere pro informatione, et ulteriorem probationem ipsis partibus injungere. Cit. cap. *Cum Joannes* 10, § *Ad hoc autem*, De fide instrum.; Fagnan., in cap. *Qualiter*, leg. 2, n. 67, *De accusat.*; Gailus, lib. I *Practic. observat.* 106, n. 5; Jason, in *Repetit. leg. Admonendi*, num. 62, ff. *De jurejurand.*; Farinac., *De testibus*, q. 73, n. 266, et alii apud ipsos.

(24. Si una parte concludente in causa, altera pars sese adhuc aliquid addendum habere asserat, est ei statuendus a iudice competens terminus ad id addendum et allegandum, et in causa concludendum, et ne lites malitiose nimis in longum protrahantur, concedendæ ei sunt tres solum successivæ dilationes, seu prorogationes, quarum singulæ continent triginta dies, quibus elapsis, iudex non amplius expectare, sed sententiam legibus et moribus, seu consuetudini consonantem proferre debet, textu expresse in authent. *Jubemus*, cod. *De iudiciis*, ibi: «Jubemus, ut si quando una pars allegationibus suis renuntiaverit, alia vero pars se habere quod proponat, dixerit, iudex negotii modis omnibus eam partem, quæ utitur dilutione, compellat intra triginta dies, postquam altera pars allegationibus renuntiaverit, quidquid velit sine aliqua intermissione proponere. Quod si non fecerit, tunc ad ejus malitiam superandam alius mensis indulgeatur a iudice. Si vero adhuc distulerit, alterius mensis dilatio ei præbeatur, ita ut, si usque ad prædictos tres menses suas non proposuerit allegationes, causæ cognitor non amplius expectans, sententiam omnibus modis, legibus et moribus consonantem proferat, vel si voluerit, referat, ne litigatoribus male tractantibus liceat causarum exitus ultra protrahere.» Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 53; Vallensis, *loc. cit.*, § 3, num. 1; Engel, *loc. cit.*, num. 1, et alii passim.

(25. Facta a partibus conclusione in causa, debet iudex, servatis ad rectam sententiam requisitis, ad ipsam proferendam procedere; requisita autem ad rectam sententiam definitivam, quæ proprie et absolute nomen sententiæ meretur, et de qua hic est sermo, alia sunt, quæ respiciunt solemnitatem judicialem, seu modum, quo ipsa solemniter est promulganda, et alia, quæ concernunt ipsam ordinatam cognitionem causæ. Engel, *loc. cit.*, num. 6; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 57, et communis aliorum.

(26. Requisita prioris generis, nempe quæ

respiciunt solemnitatem judicialem, sunt, quod sententia definitiva debeat in scriptis concipi, et per ipsum iudicem, et non per alium recitari. Leg. *Arbitri* 1, et leg. *Hac lege* 2, cod. *De sententiis ex periculo recitandis*, et cap. *Etsi sententia* 5, De sentent. et re iudicat. in 6. (27. Exceptis tamen episcopis et personis illustribus, quibus conceditur ob dignitatis prærogativam, quod sententiam a se latam per alios recitare possint. Leg. *Hac lege* 2, cod. *De sentent. ex periculo recitand.*, et cit. cap. *Etsi sententia*. (28. Item, quod sententia proferatur a iudice non stante vel ambulante, sed sedente pro tribunali, cit. cap. *Etsi sententia* 6, sive in loco publico, ubi, antecessores sui jus reddere consueverunt. Leg. *Cum sententia* 6, cod. *De sententia et interloc. omn. judic.*, et leg. penult., ff. *De justit. et jur.* (29. Episcopus etiam potest in quolibet loco suæ diocesis non exempto per se vel per alium pro tribunali sedere, et sententiam ferre. Cap. *Cum episcopus* 7, De offic. ordinar. in 6. Sicuti et iudex delegatus ad aliquam causam particularem potest iurisdicendi causa eligere quemcumque sibi benevisum, honestum locum, cum ipse certam sedem deputatam non habeat. L. *Si cum dies*, § *Si arbiter*, ff. *De recept. arb.*

* Id scilicet introductum est, quo major foret iudicii fides. Igitur discussio utriusque negotio, iudices deliberaturi secedebant post *Velum* in eum locum, qui *secretarium* iudicis dicebatur, ubi formatam emendatamque sententiam actuario dictabant; mox statim in auditorio partibus presentibus recitabant ex libello. Hujus moris necessitatem confirmant Valens, Valentinianus et Gratianus, in l. II, cod. *De sent. ex peric. recit.* Jure Novellarum in litibus parvi momenti, maxime inter viles personas, iudex potest absque scripto pronuntiare. Novell. 17, cap. 3. Hoc quoque remittitur episcopis, cum ipsi cognoscunt, ut præter jura a nostro auctore allegata definiit Justinianus, in novell. 83 in princ. Rursus ad modum, quo sententia ferri debet, illud quoque perlinet, quod decreta a prætoribus Latine interponi debent. L. 48, ff. *De re judic.**

(30. Item quod sententia feratur, de die et non de nocte. Cap. *Consuluit* 24, De offic. delegat.

(31. Item quod sententia feratur die non feriato. Cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis*, nisi partibus consentientibus eo die sententia feratur. L. 4, cod. *Quomodo et quando iudex*. Item si iudex sic datus est, ut certa die iudicaret, sententia alia die lata injusta erit. L. 6, cod. *Quando provocare*.* Qui autem et quot sint dies feriati? Vide verb. *Judicium*. Item quod iudex citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam; idque vel trina citatione vel saltem una peremptoria. Leg. *Ea quæ* 7, leg. *Consentaneum* 8, cod. *Quomodo et quando iudex sententiam proferre*, etc., et leg. *De unoquoque* 47, ff. *De re iudicata*; (32. Si autem aliqua pars legitime citata fuerit contumax, et

cessante justo impedimento, noluerit comparere, poterit iudex nihilominus procedere ad sententiam, cum legitime citati, et contumaciter absentes habeantur pro praesentibus, Leg. *Properandum*, 13, § 3, ff. *De iudiciis*, atque eorum contumacia liti damno coerceatur. Leg. *Contumacia* 53, ff. *De re iudicata*, ibi: « Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperant, liti damno coercentur: contumax est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus, praesentiam sui facere contemnet. »

* Non modo ratione diei, verum etiam ratione loci injusta esse potest sententia si non publice, et in loco majorum feratur. L. 6, cod. *De sent. et interlocut.* Item si certus locus ferendae sententiae designatus sit, alibi prolata nullius roboris est, l. 5, cod. *Quomodo et quando iudex*.*

(33. Requisita posterioris generis, nempe quae concernunt ipsam ordinatam causae cognitionem, sunt quod sententia debet esse *Libello conformis*, id est conformis scripturae actoris, petitionem, et ejus causam continenti. L. *Ut fundus* 18, ff. *Communi dividundo*, c. *Qualiter et quando* 25 circa finem, *De accusationibus*, et *Clementin. Saepe contingit*, *De verb. significat.*, ibi: « Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet. » Et Glossa, *ibidem*, verb. *Formam*, ubi allegat alia jura.

* Quamvis nihil referat, qua verborum conceptione utatur iudex in condemnando vel absolvendo, l. 59, ff. *De re iudic.*, debet tamen sententia, si definitiva sit, essentialiter continere vel condemnationem vel absolutionem, l. 3, l. 11, cod. *De sent. et interlocut.* Ea pariter irrita est iudicis pronuntiatio, per quam mandetur partibus, ut ad invicem paciscantur. L. 7, cod. eod. Iudex respondere debet de jure, non jubere concordiam, quam si voluissent, non adivissent iudicem. Non prohibetur tamen iudici, quominus suadeat partibus, ut ineant concordiam, ut interdum contigisse apparet in sacrae Rotae tribunali, a quo pluries rescriptum fuit in causis maxime dubiis, *placere de concordia*, quin tamen partes ad concordiam adigeret.*

(34. Item, quod sententia sit certa, id est per eam res, vel quantitas determinetur; non enim sufficit dicere: *Solve quod debes*; sed quantitas ipsa rei debitae est exprimenda, § *Curare* 32, *Instit. De actionibus*, ibi: « Curare autem debet iudex, ut omnino, quantum possibile ei sit, certae pecuniae, vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est. » Et Glossa, *ibid.*, *Possibile*; leg. *Hac sententia* 8, et leg. *Hac sententia* 4, cod. *De sententia, quae sine certa quantitate profertur*.

* Nota tamen, quod incerta dici nequit, et proinde injusta dici nequit ea sententia, quae certam quantitatem, aut certam rem non contineat, dummodo tamen relationem habeat ad aliquid, quod determinat id, quod in sententia continetur. Hujus rei exempla

habes in l. 5, § 1, l. 59, § 1, ff. *De re iudic.*, l. 1 et 2, cod. *De sent. quae sine certa*.

(35. Item, quod sententia non feratur sub conditione, dicendo, v. g. *condemno te si actor probaverit*, sed debet continere puram absolutionem vel condemnationem. Leg. 1, § *Biduum*, ff. *Quando appellandum sit*, ibi: « Sane quidem non est dicenda sub conditione sententia. » Et ratio est clara, quia ut expresse habetur in leg. *Præses* 3, cod. *De sententiis et interlocutionib. omn. iudic.*: « Præses provinciae non ignorat, definitivam sententiam, quae condemnationem vel absolutionem non continet, pro justa non haberi. »

* Item pro injusta haberi debet ea sententia, quae aliquod impossibile præceptum continet, a qua ideo etiam sine causa appellatur. L. 3 in prin., et § 6, ff. *Quae sent. sin. appell.*.*

(36. Item sententia debet esse juri conformis. Leg. *Si cum inter te*, cod. *Quando provocare non est necesse*, leg. *Si expressim*, ff. *De appellationibus*, cum similibus, et cap. *Sententiam* 1, *De sententia et re iudicata*, ubi sic expresse habetur: « Sententia contra leges canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. »

* Multo magis injusta censenda est ea sententia, per quam definitur leges non esse observandas, per text. in l. 27 et l. 32, ff. *De re iudic.* Possunt tamen contingere casus, in quibus videri queat, per sententiam leges tolli, et tunc hujusmodi sententia in suspensio manere debet per appellationem. Hujusmodi sententiarum exemplum habes in l. 1, § 4, ff. *Quae sent. sine appell.*, quae lex, cum aliquantisper obscura sit, non sine interprete videnda.*

(37. Sententia ferenda est intra tempus a jure praescriptum, quod tempus de jure civili in causis civilibus (exceptis causis fiscalibus, et publicarum functionum) est triennium; causae enim civiles debent terminari intra triennium a tempore liti contestatae numerandum, ne lites fiant pene immortales, textu expresso in leg. *Properandum* 12.

(38. § 1, cod. *De iudiciis*. In causis autem criminalibus est biennium; causae criminales intra duos annos pariter a contestatione liti computandos, terminandae sunt, textu expresso in leg. *Criminales causas* 3, cod. *Ut intra certum tempus criminalis quaestio terminetur*, ibi: « Criminales causas intra duos annos a contestatione liti connumerandos, finiri censemur, nec ulla alia occasione ad ampliora produci tempora, sed post biennii excessum minime ulterius lite durante accusatum absolvi. » Unde ex citatis juribus aliisque consimilibus stat clarum; quod de jure civili perimitur instantia iudicii ex lapsu triennii in civilibus, si causa intra praefatum tempus a liti contestatione computandum, non finiatur, et a iudice non proferatur definitiva sententia.

(39. Secus autem est de jure canonico, ut

clare patet ex cap. *Venerabilis* 20, *De iudiciis*; ubi summus Pontifex Honorius III expresse mandat iudici a se delegato, ut lapsu triennii non obstante, procedat in causa sibi commissa. Et notat Glossa, *ibid.*, verb. *Non obstante*; abbas, num. 6; Barbosa, num. 2, cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia, ut inquit abbas, *loco cit.* Jus civile quoad propositum, non fuit moribus receptum in foro ecclesiastico. Sic enim jam antea in cap. *Cum olim* 14, § *Judiciis*, *De privilegiis*, legitur factam esse condemnationem in expensis per quadriennium, quo iudicium duravit, et in cap. *Tum ex litteris* 5, *De in integrum restitut.*, lis duravit longe ultra triennium, prout declarat Glossa, *ibid.*, verb. *Sententia*.

(40. Novissimo tamen jure concilii *Tridentini*, sess. xxiv, cap. 20, *De reformat.*, statutum est, quod omnes causae ad forum ecclesiasticum spectantes, in prima instantia saltem infra biennium a die motae liti terminentur; alioquin vero liceat partibus competentes iudices superiores adire.

(41.* Hactenus de requisitis tum intrinsicis, tum extrinsecis, sententiarum; sed de iudicium, et litigantium personis nec quidem verbum factum est, ideo de his quoque nonnulla breviter indicanda. Quoad iudicis personam generaliter statuendum est, ut is, qui neque jurisdictioni praest, neque ab eo, qui jus dandorum iudicium habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, vel ex aliqua lege confirmatus est, iudex esse non potuit. » L. 84, ff. *De iudiciis*. Sed nec cuiusvis magistratus, qui alicui jurisdictioni praesit, aut iudicis ab eo dati, sententia justa erit, sed ejus demum, qui inter litigatores, et de causa de qua litigatum est, fuerit competens. L. 4, cod. *Si a non compet. iudic.* Sic exempli gratia cum magistratus militares, puta magistri peditum aut equitum, nullam in privata conditione homines jurisdictionem habeant. L. 1 et 2, cod. *De offic. milit. iudic.*, ita nec in privatorum causis iudices dare possunt. L. 2, cod. eod. l. 23, § 1, ff. *De appellat.* Qui vero iudices competentes sint, jam alibi ostensum est. Iudici incompetenti similis est, qui in iudicando fines sua jurisdictionis excessit, puta mulctam sua jurisdictione majorem dixit. L. 5, cod. *Quando provoc. non est necesse*.

(42. Cum a iudice dato sententia lata est, non solum hoc requiritur, ut magistratus, qui eum dedit, fuerit competens, sed item requiritur, ut is iudex datus fuerit, qui iudex esse possit. Item ut delegationis suae fines non excesserit. L. 170, sive ut alii legunt. L. 130, ff. *De reg. jur.* Hinc iudex ad certam rem datus, si de aliis pronuntiavit, quam quod ad eam rem pertinet, nihil egit. L. 1, cod. *Si a non compet. iudic.* Ceterum quamvis formula, qua delegatur iudex, condemnationis duntaxat mentionem facere soleat, tamen et absolvendi, si ita videbitur, facultas ei delegata intelligitur. L. 3, ff. *De re iudic.*, l. 37, ff. *De reg. jur.* Similiter videntur fines delegationis suae excessisse illi iudices, qui, dum plures dati sunt, absentibus aliis, ju-

dicium dixerunt. L. 4, cod. *Quando provocare*, l. 36, l. 37, l. 39, ff. *De re iudic.* Non tamen necesse est, ut omnes in eandem sententiam conveniant, dummodo omnes absint, et major pars conveniant. Diximus, modo omnes iudices adfuerint, quod ex majoris partis sententia statutum est, valere: quamvis quidam aut juraverint de causa sibi non liquere, aut etiam contra senserint. At inter pares numero iudices, si dissonae sententiae proferantur, in liberalibus quidem causis, inter quas nunc recenseri possent causae fideicommissariae, et super legitimitate personarum, pro libertate statutum obtinet, in aliis autem causis pro eo quod et in iudiciis publicis obtinere oportet. L. 38, ff. *De re iudic.* Enim vero favorabiliores rei, quam actores habentur. L. 125, alias 167, ff. *De reg. jur.* Hinc cum quis querela inofficiosi experitur, si pars iudicantium de inofficioso testamento contra testamentum, pars vero secundum id sententiam dederit, quod interdum fieri solet, humanius erit sequi ejus partis sententiam, quae secundum testamentum spectavit, nisi aperte iudices inique secundum scriptum haeredem pronuntiasse appareat. L. 10, ff. *De inoffic. test.* Si duo iudices oppositas pronuntient sententias, utraque in pendentem est, donec iudex competens suam ferat iudicium. Sed si diversis summis condemnet; tunc minima pendenda est. L. 28, et l. 38, § 1, ff. *De re iudic.*, et ratio est, quia minor summa in majori quoque continetur; et ideo in hanc omnes conveniunt. L. 27, § 3, ff. *De receptis*.

(43. Hactenus de personis iudicium, nunc videndum de personis litigantium, circa quas id maxime requiritur, ut fuerint in humanis tempore latae sententiae, vel iudicis dati. Nam contra defunctos nullum valet iudicium. L. 2, ff. *Quae sentent. sine appell.*, l. 2, § 1, et l. 59, § fin., ff. *De re iudic.* Illud quoque requiritur, ut inter eas personas sententia lata sit, quae rem in iudicium deduxerint. L. 1, cod. *De sentent. et interlocut.* Item oportet, ut inter eas personas lata sit, quae stare in iudicio possunt, vel non, vidimus supra de iudiciis. Si minor condemnetur, requiritur, ut sit defensus; alias sine tutore vel curatore illi dato nulla erit sententia. L. 43, § 2, ff. *De re iudic.* Quod dicimus de minoribus, obtinet etiam de republica, et civitatibus. l. 1, cod. *De jur. reipubl. et de furiosis*, l. 9, ff. *De re iudic.*

(44. Denique requiritur ut omnes, quorum interest, adsint, dum iudicium proferatur, ut supra notavit auctor, et statuit. L. 47, ff. *De re iudic.* Sed si quis litem contestatus sit cum pluribus, quorum alii adsint, alii absint, et causa dividi possit, potest iudex de causa praesentium iudicare. l. 45, ff. *De iudic.* Ut vero etiam contra absentes iudicium ferri possit, requiritur, ut si praecedant denuntiationes et denuntiatus non responderit, tunc enim condemnatur per contumaciam. L. cod. *Quomodo et quando iudic.* Hoc excepto casu nunquam contra absentem lata sententia valet, at valet si ip-